



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaiones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio XVII. De iustitia & misericordia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA De Iustitia & Misericordia Dei.

Sectio I. *An sit in Deo iustitia proprie dicta?*

Sectio II. *Statuitur vera sententia.*

Sectio III. *Resutantur contraria sententia.*

Sectio IV. *Soluuntur alia Recentiorum quorundam argumenta.*

Sectio V. *De misericordia, & alijs virtutibus diuinae voluntatis.*

De iustitia & misericordia Dei disputat S. Thom. tota quæst. 21. docetque primo, duplicem esse speciem iustitiæ: commutatiuam scilicet, quæ consistit in mutua datione, & distributiua, quæ consistit in distribuendo. Et priorem quidem non esse in Deo: quia omnia nostra ex Deo sunt, nec quisquam illi quidquam dedit, pro quo sibi à Deo retribuatur: iuxta illud Rom. II. v. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Secus verò posteriorem, quia omnibus tribuit propria secundum vniuscuiusque existentiam dignitatem: & vniuscuiusque naturam in proprio, saluat ordine & virtute. Secundò, iustitiam Dei conuenienter veritatem nominati. Quia intellectus diuinus, qui est causa rerum, comparatur ad ipsas velut earum regula, & mensura, & lex, cui conformes esse debent: illarumque veritas in eo consistit, quod adæquantur diuino intellectui: Sicut dicitur artifex facere verum opus, quando concordat arti. Tertio, misericordiam esse Deo maxime tribuendam, non secundum affectum, passionis tristitiæ, & condolentiam super aliena miseria: qui affectus repugnat Dei beatitudini, & summæ perfectioni: sed secundum effectum repellendi miseriam alterius, sicut miseriam propriam: intelligendo per miseriam, quemcumque defectum qui effectus maxime conuenit diuinæ bonitati. Quarto, in quolibet opere Dei misericordiam, & veritatem seu iustitiam, inueniri quia Deus in omnibus suis operibus nihil prætermitit, quod sibi, vel creaturis ipsis debitum sit: Sed omnia facit secundum convenientem ordinem & proportionem: in quo consistit ratio iustitiæ: ac proinde in quolibet opere Dei iustitia reperitur. Opus autem diuinæ iustitiæ semper præsupponit opus misericordiæ, & in eo fundatur: quoniam quidquid debetur creaturis, in aliquo ex sola diuina bonitate collatum reddendum est. Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem eius, cuius virtus saluatur in omnibus consequentibus. Hac usque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus explicabitur.

SECTIO I.

An sit in Deo iustitia proprie dicta?
 Praesupponuntur primò nonnulla de iustitia, &
 eius speciebus.

Iustitia
 proprie
 quid sit?

SUPPONO primò, iustitiam hic sumi non eo sensu quo quamcunque virtutem, seu rectitudinem & æquitatem voluntatis significat: aut aggregatum ex omnibus virtutibus: sed strictè & propriè prout est virtus specialis ab alijs distincta: quæ in eo differt ab alijs, quòd versetur convenienti modo circa ius quò tale est, & circa eius oppositum: siue circa iustum & iniustum obiectivum: hoc est, circa debitum rigorosum, eiusque contrarium: volendo aut reddendo iustum seu debitum quia debitum est: & abstinendo ab iniusto, id est, ab eo omni, à quo ex debito rigoroso abstinendum est, illi que auerfando, quia iniustum est & contrarium debito. Debitum autem rigorosum vocatur illud, quod non est debitum tantum decencie & honestatis cuiusdam, cuiusmodi est debitum aliarum virtutum: sed est strictius, & tale vt debitor ad reddendum compelli possit, & coram superiore, si is non desit, conveniri in iudicio: quodque si lædatur, obligat ad satisfactionem, aut restitutionem, vt explicabimus in tractatu de iustitia.

Iustitia
 alia legalis
 alia parti-
 cularis

Suppono secundò, varias esse species virtutis specialis iustitiæ. Primò enim dividitur in legalem seu generalem, & particularem, quæ duo membra divisionis esse veras species iustitiæ propriè dictæ, suppono ex dicendis in tractatu citato. Iustitia legalis illa est, quæ versatur circa ius æquum, id est, ius communis ut talis, respectu particularium sibi inferiorum, in ordine ad bonum commune. Quod ius dicitur, *æquum*, quia supereminet iuribus particularibus, atque illis prædominatur & derogat. Habet enim communitas, aut is qui præest communitati, ius & dominium quoddam æquum, id est, superioris ordinis, in bona omnium civium, & particularia eorum iura atque dominia: quod licet non excludat privatum ius & dominium particularium, circa eadem bona: valet tamen eo non obstante ad vtilitatem bonis illis, prout necesse fuerit ad communem Reipublicæ utilitatem: imò etiam valet ad personas ipsas, earumque actiones, vitamque ipsam periculo exponendam, cum boni communis necessitas id postulaverit. Dicitur etiam ius idem, *commune*, ratione obiecti: quia respicit bonum commune: & *ius legale*, tum quia est ad bonum commune, sicut lex: tum etiam quia legibus sanciri solet. Dixi autem esse ius communis ut talis, respectu particularium sibi subditorum,

aut Principis vt talis: quia si spectetur Princeps, aut communitas, in ordine ad aliam communitatem, aut personam non sibi subiectam: vel in ordine ad ea, quorum habet proprium & speciale dominium aut ius, quasi persona priuata, aut quasi vicem gerens vnus personæ, sine superioritate: vt sic non habet illud ius æquum & superius, quod non est tale nisi per ordinem ad inferiores & particulares ipsi subiectos, quorum ius dicitur *basium*, & *inferius*, quatenus subest illi iuri superiori.

Iustitia legalis
 quid sit?

Itaque iustitia legalis dicitur ea quæ versatur circa debitum communitati vt tali, à particularibus in ea contentis, ratione iuris illius alti & supereminetis, quod est in communitate, aut in Principi communitatis, respectu particularium: quæ iustitia vocatur legalis, quia per illam homo concordat legibus, quæ propter bonum commune præscribunt opera omnium virtutum in omni Republica optime constituta, vt ait S. Thomas 2. 2. quæstione 58. art. 5. siue, quia respicit bonum commune, sicut & lex: habetque pro obiecto id quod debetur communitati ratione legum. Dicitur etiam generalis, quia comprehendit omnia virtutum officia quatenus debita propter bonum commune, earumque ordinum ætus imperat, & ordinat ad proprium finem, per modum principij communis, vt ait idem S. Doctor art. 6. quæstionis citatæ. Est autem hæc iustitia partim in ipsa communitate, aut eius principe, exigente ab inferioribus & particularibus ea quæ debent bono communi: partim in ipsis particularibus & inferioribus, ad reddendum id quod debent Principi, aut communitati, ratione boni communis.

S. Thom.

Iustitia verò particularis dicitur illa, quæ respicit bonum proprium aut particulare alicuius, aut aliquorum: siue ad tribuendum simpliciter cuique suum, vt fit per iustitiam commutativam: siue ad distribuendum aliquid in plures certa quadam proportione, vt fit per iustitiam distributivam.

Quid &
 quotplex sit
 iustitia
 particula-
 ris?

Subdiuiditur enim iustitia particularis in commutativam & distributivam, quibus addunt aliqui vindicativam: sed illa melius sub commutativa comprehenditur. Commutatio enim, licet strictè sumpta sit mutua vtriusque datio & acceptio, facta ex consensu reciproco: tamen tamen, & quatenus respondet ad æquæ iustitiæ commutativam, sumitur pro quocunque commercio, & quacunque actione iusta vel iniusta alterius ad alterum, inter particulares aut quasi particulares: diuiditurque à D. Thoma 2. 2. quæst. 61. art. 3. & Aristotele 5. Ethic. cap. 2. in voluntariam & involuntariam. Vtraque verò multiplex ab illis assignatur. Ex commercio enim (inquit Aristoteles) alia sunt spontanea, alia involuntaria. Spontanea eiusmodi sunt: venditio, emptio

mutuatio, sponso, usura, depositio, conductio seu locatio. Atque haec spontanea ideo dicuntur, quia principium commerciorum horum spontaneum est (id est utrinque voluntarium) Ex inuoluntarijs autem clandestinis alia sunt, ut furtum, adulterium, lenocinium, seruorum sequestro, homicidium dolose perpetratum, falsa testificatio. Alia violenta (id est, vi aperta illata) ut flagellatio, vincula, exors, rapina, mutilatio, conuictio, contumelia illatio. Haec Aristoteles. Plura vero recensentur à D. Thoma, quae subiiciendis paulò post. Circa quas omnes actiones ad normam iustitiae dirigendas per poenam, si contra illam peccatum est, versatur iustitia commutativa adaequate sumpta: quae idcirco ambitu suo continet actum vindicationis versantis circa vindictam ut debitam ratione iniuriae. Et tam reus, qui eam subit ut talem, quam laesus qui eam exigit, ac Iudex aut Respublica illam infligens ut debitam illo titulo, exercet actum iustitiae commutativae.

Solet autem distingui iustitia commutativa à distributiva, in eo quòd iustitia commutativa versetur circa iustum, id est, aequale, aequalitate seu proportionem arithmetica rei ad rem, id est, tantum pro tanto. Et Distributiva circa iustum, id est, aequale proportionem geometrica seu aequalitate proportionum: quae aequalitas consistit inter quatuor terminos, aut tres aequivalentes quatuor, eundem bis sumendo: quorum terminorum unus se habet ad unum, sicut alter ad alterum, atque ita seruant eandem seu aequalem proportionem inter se. Ex. gr. sicut se habent duo ad quatuor, ita se habent quatuor ad octo; vel decem ad viginti: quia utrobique est proportio dupla. Verùm haec distinctio plurimum habet difficultatis, quae suo loco examinabitur.

Iustitia commutativa & distributiva quid sint & quo modo differant?

Molina

Interea suppono tertio, differentiam hanc iustitiae specierum melius explicari, ut explicatur ferè à Molina quaestione. 21. art. 1. & tom. 1. de Iustit. tract. 1. disp. 12. dicendo iustitiam distributivam versari circa ius quoddam vel debitum fundatum praecise in ratione communitatis, & in eo consistens quod bona vel onera communitatis sint quodammodo particularium, ideoque debeant ab illis participari pro cuiusque conditione, ita ut in particularibus sit ius ut bona communia eis tribuantur aut distribuuntur ex eo praecise quòd communia sunt, seu bona communitatis: & debitum sit in communitate ea tribuendi vel distribuendi particularibus, unicuique iuxta ipsius dignitatem. Similiterque sit debitum in particularibus ad ferenda onera communia, ex eo praecise quòd sint onera communitatis: & ius in communitate ea singulis distribuendi pro cuiusque proportione. Iustitiam vero commutativam respicere ius proprium & particulare hominum inter se, ortum vel

ex dominio aut proprietate rei, vel conventionione aliqua, vel aliquo commercio, aliove titulo, ratione cuius habent ius in re vel in rem, ut ad aliquid peculiari titulo sibi debitum, qui duo tituli communitatis, & proprietatis aut quasi proprietatis, differunt specie moraliter, constituuntque ius moraliter diversum, & consequenter iustitias diversas, circa iura illa diversa, circa quae versantur ut talia.

Cum enim homines possint spectari dupliciter: Primò, inter se inuicem, sine ordine ad communitatem, quoad actiones, & iura quae illis, ut talibus conveniunt. Secundò, in ordine ad communitatem prout sunt illius membra. Idque iterum dupliciter: nimirum vel quatenus illi bene se habent in ordine ad communitatem, reddendo quidquid illi debetur propter bonum commune: vel quatenus vice versa communitas bene ad illos se habet in communicatione bonorum communium, seruando ius, quod habent ad illa participanda, ita ut illa aequaliter illis distribuatur pro ratione dignitatis cuiusque. Primùm illorum pertinet ad iustitiam commutativam: cuius est dirigere actiones hominum, quoad iura privata, & quoad ea omnia, quae illis particulariter consideratis debita sunt ex iuribus ipsorum particularibus. Inter quas actiones, quia frequentiores & illustriores sunt commutationes, id est, mutuae dationes, & acceptiones, ab illis nomen sumpsit iustitia commutativa: tamen latius patet ad simplices tributiones ex iure debitas. Et quia in illis commutationibus seruari solet aequalitas arithmetica inter res quae commutantur, ita ut tantum pro tanto reddatur, dicitur iustitia commutativa spectare debitum secundum aequalitatem rei ad rem.

Secundum vero pertinet ad iustitiam legalem, per quam subacti conveniunt se habent ad communitatem, reddendo liquidum ei debetur ex iure alto, & supereminenti, quod habet in bona, & personas subditorum, seu membrorum communitatis. Tertium vero, quo communitas bene se habet ad particulares in bonorum communium distributione, propter ius quod illi habent participandi bona communia pro cuiusque dignitate, pertinet ad iustitiam distributivam, quae non debetur in communitate ad bona distribuenda, & ius in particularibus ad ea participanda. Quoniam autem bona communia, debita particularibus titulo communitatis, debent inaequaliter distribu inaequalibus, unicuique plus aut minus iuxta cuiusque proportionem & dignitatem in republica: quo enim est magis principalis pars communitatis, eo plus iuris habet, illo titulo ad eius bona participanda: idcirco dicitur iustitia distributiva spectare iustum secundum aequalitatem geometricam, seu proportionem inter personas, & inter ea quae illis dan-

cut. Ut sicut vna persona excedit aliam: ita res que datur vni personæ de bono communi, excedat rem que datur alij.

9.
Boetiana
D. Thomæ
circa spe-
cies iusti-
tiae, earum
que dis-
tinguuntur

Hanc differentiam inter iustitiam legalem, commutativam, & distributivam simili modo exponit D. Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 1. in corp. Vbi sic habet: *Iustitia particularis ordinatur ad aliquam privatam personam, qua comparatur ad communitatem, sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi. Unus quidem, parvis ad partem, cui similis est ordo vnius private personæ ad aliam. Et hunc ordinem dirigit commutativa iustitia, qua consistit in iis, que mutuo fiunt inter duas personas adinvicem. Alius ordo attenditur totius ad partes. Et huic ordini assimilatur ordo eius quod est commune, ad singulas personas. Quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiva, qua est distributiva communium, secundum proportionalitatem: & ideo sunt dua iustitia species, scilicet commutativa, & distributiva. Intellege, iustitiæ particularis, ultra legalem, seu generalem, cuius differentiam ab istis sic exponit paulo post in solutione 3. argumenti: Ad iustitiam legalem pertinet ordinare, qua sunt privatarum personarum, in bonum commune. Sed ordinare est contrario bonum commune ad personas particulares, per distributionem, est iustitia particularis. Et ibid. ad 4. explicans differentiam inter obiecta iustitiæ commutativæ, & distributivæ, ait illa distingui non tantum secundum vnum, & multa: sed secundum diversam debiti rationem: alio enim modo debetur alicui id quod est commune, & alio modo id quod est proprium. Et art. 2. in corp. In iustitia distributiva, inquit, datur alicui (velut debitum) alicui private personæ, in quantum id quod est totius, est debitum partis. Quod quidem tanto maius est, quanto ipsa pars maiorem principalem habet in toto. Et ideo in distributiva iustitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona maiorem habet principalem in communitate. Et denique art. 1. ad 2. radicem illius debiti sic exponit: Sicut, inquit, pars, & totum quodammodo sunt idem: ita id quod est totius, quodammodo est partis. Et ita cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur: quilibet aliquo modo recipit id quod suum est.*

10.
Obiectum
proprium
cuiusque
speciei iu-
stitiæ.

Quare iuxta Sanctum Doctorem obiectum iustitiæ distributivæ est bonum commune distribuendum particularibus, seu membris communitatis, prout ad illos aliquo modo pertipens titulo communitatis, illisque debitum ex iure fundato præcise in communitate. Obiectum vero iustitiæ commutativæ est iustum siue debitum inter particulares ex iure ipsorum privato ad invicem. Legalis denique seu generalis iustitiæ obiectum est debitum communitati ex iure ipsius alto & supereminenti, quo iustitia legalis ordinata, que sunt privatarum personarum, in bonum commune.

11.
Iustitia
vindicati-
va & pars
communi-
tativæ.

Quod vero attinet ad iustitiam vindicativam versantem circa reparationem iniuriæ, & hac intentione exigentem à reo, & infligentem pœnas pro illius reparatione debitas, censo illam esse partem iustitiæ commutativæ, propterea quod per illam redditur pœna pro iniuria illata; & malum cum malo commutatur: sicut in voluntariis commutationibus bonum pro bono retribuitur. Ut enim rectè ait S. Thom. 2. 2. q. 61. art. 3. Commutativa iustitia est directiva commutationum, que attendi possunt inter duas personas: quarum quedam sunt involuntariæ, quedam vero voluntariæ. Involuntariæ quidem, quando aliquis vitur re alterius, vel persona, vel opere, eo invito: siue occultè per fraudem, vt in furto, dolosa percussione, vel occisione per veneni exhibitionem, falso testimonio, detractione, adulterio, servorum seductione, & similibus: siue manifestè per violentiam, vt per manifestam occisionem, aut per incarcerationem, accusationem in iudicio, & publicam conuitij illationem. Per quæ omnia incurritur debitum pœnæ pro iure læsio subeundæ, quam infligere pertinet ad iustitiam vindicativam. Voluntariæ autem commutationes dicuntur, quando aliquis voluntariè transfert rem suam in alterum sub ratione aliqua debiti: siue simpliciter eam transferat pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in emptione, & venditione: siue tantum concedat vsum rei suæ cum debito eam recuperandi, vt contingit in usu-fructu, mutuo, commodato, locatione, & conductione: siue denique ne vnum quidem concedat, sed rem suam alteri tradat vel ratione solum conservationis, sicut in deposito; vel ratione obligationis, sicut cum quis rem suam pignori obligat, seu cum aliquis pro alio fide iuret. In omnibus autem huiusmodi actionibus, siue voluntariis, siue involuntariis, est eadem ratio accipiendi medium secundum æqualitatem recompensationis, ad servandum ius privatum inter personas. Sicut enim ad servandam perfectè iustitiam, pretium redditum pro merce v. g. debet esse illi æquale: ita & pœna, que in vindictam infertur pro iniuria ad reparandum ius læsum, debet illi esse equalis. Et ideo omnes istæ actiones ad vnam speciem iustitiæ pertinent, scilicet ad commutativam. Hucusque Sanct. Doctor, cuius parum verba, parum sensum expressimus.

SECTIO II.

Statuitur vera sententia, ostenditurque iustitiam propriè & specialiter sumptam Deo convenire

His præsuppositis de definitione iustitiæ, & variis illius speciebus, dico primò, Iustitiam propriè & specialiter sumptam, prout est virtus ab aliis distincta, convenire Deo.

TINO
US
part
VI

12.
Iustitia proprie dicta
conuenit
Deo.

In hanc assertionem generaliter datam, ad cuius veritatem sufficit aliquam saltem speciem Iustitiæ proprie dictæ conuenire Deo, consentiunt plurimi antiqui & recentes Theologi: D. Thom. q. 21. art. 1. in corp. vbi Iustitiam saltem distributiuam Deo concedit: Magister. in 4. dist. 6. cap. Sed quomodo, Ricard. ibidem art. 1. q. 1. in corp. Argentin. ibid. q. vnic. art. 1. S. Bonavent. ibid. art. 1. q. 4. in corp. Gab. in 2. dist. 27. q. vnic. art. 1. notabili 3. Carthusianus in 4. distinctione 49. quest. 1. Aureolus in 1. dist. 4. art. 1. columna vltima. Capr. in 1. dist. 4. q. vnic. art. 1. conclusionem 14. Caiet. 2. 2. q. 61. art. 4. ad 1. Ferrar. in 1. contra Gentes cap. 93. §. Sed dubium, & §. Ad cuius evidentiam. Sotus lib. 3. de Iustit. questio 5. à. 4. ad 1. Suares in opusculis, in disputatione de Iustitia Dei: Valent. q. 21. p. 1. assert. 2. Rebell. lib. 1. de Iustitia q. 4. sect. 5. B. l. l. 5. de Iustificatio- ne cap. 16. Bannes, Nazar. Nauar. & alij recentes Thomistæ ad q. 21. art. 1. Fasolus ibidem, Granad. tract. 5. de voluntate Dei disp. 4. sect. 5. Didacus Ruis disp. 56. & sequentibus de voluntate Dei.

13.
Probatur
ex scriptu-
ra.

Probatur primò ex Scriptura, quæ sapius Deo tribuit Iustitiam specialiter sumptam vt distinctam ab alijs virtutibus, debent autem illa Scripturæ verba, tan frequenter idem affirmantia, intelligi in proprio sensu quantum fieri potest: & ad metaphorat. sine valde videntur ratione non debent detorqueri, P. sal. 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: Iustitia & pax osculate sunt: veritas de terra orta est, & iustitia de celo prospexit. Et cum Dominus dabit benignitatem &c. iustitia ante eum ambulabit.* Vbi Nota tribui Deo iustitiam vt distinctam à misericordia, veritate, id est, veracitate, benignitate, & pace seu concordia. & P. sal. 114. *Misericors Dominus & Iustus.* Vbi Nota iterum tribui Deo iustitiam vt distinctam à misericordia & P. sal. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Vbi Nota iustitiam Deo tribui specialiter vt respicit iudicium rectum, id est, fert sententiam æquam & iustam, vt æqui Iudices faciunt ex speciali iustitia. De qua eodem dicitur P. sal. 30. *In te Domine sperari non confundar in æternum, in iustitia tua libera me: & 2. Timoth. 4. Bonum certamen certavi &c. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Vbi Nota quod ait, *Reddet, iustus Iudex, & Corona iustitiæ*, quæ omnia debitorum iustitiæ significant. Retributio enim iusti iudicis supponit ius in eo, cui fit retributio, & debitum in eo, cuius est reddere seu retribuere. Et denique ad Hebr. 6. *Non enim iniustus & Deus vt obliuiscatur operis vestri boni, &c.* quibus verbis Paulus significat Deum fore iniustum, si mercedem promissam bonis operibus negaret: nimirum quia debitam ex iustitia, iuxta illud eiusdem Apostoli ad Roman. 4. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum: & iuxta parabolam Matth. 20. quæ*

Deus comparatur Patrifamilias conducendi operarios his verbis: *Ita & vos in vuestra meam & quod iustum fuerit, dabo vobis: & paulò post: Voca operarios, & redde illis mercedem, iustam scilicet, id est, debitam ex conuentione facta cum illis de denario diurno, vt dicitur initio eiusdem parabolæ.*

Probatur secundò ex Patribus, & Concilijs. August. lib. de natura, & gratia cap. 2. *Non enim est iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitia.* Et Serm. 16. de verbis Apost. cap. 2. *In his, que iam habemus, laudemus Deum largiorem: in ijs que nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Et epist. 105. ad Sixtum, *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: ita merito iustitiæ, tanquam stipendium redditur vita æterna, &c.* Unde etiam & merces appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis. Et Ambros. in P. sal. 118. Serm. 7. circa initium: *Vult Deus, inquit, conueniri, vt si quis proposita secutus virtutibus premia, bene certauerit, fructum remunerati expectet, quin etiam exigat, sicut habet scriptum: Certamen boni certasti, & reposita est mihi corona iustitiæ.* Nota verbum Conueniri, scilicet in iudicio, quod est proprii debiti iustitiæ. Similia habent Fulg. in præf. libri ad Monimum, Chryf. hom. 4. de Lazar. & circa medietatem, & hom. 8. in epist. ad Rom. columna 2. Vbi affirmat Deum esse debitorem iustis non vilium rerum, sed magnarum, subtiliumque. Et Cyp. l. de opere, & eleemoina, in fine de vero misericordie sic ait, *Promeretur Christum iudicem, Deum sibi computat debitorem.* Etque notandum specialiter Chrysolomum & Cyprianum affirmare Deum esse debitorem ipsis creaturis contra nonnullos affirmantes Deum non ipsis creaturis, sed sibi debitorem esse. Idem denique definiunt Araucan. 18. & Trident. sess. 6. cap. 16. Vbi docent, deberi mercedem bonis operibus cum gratia factis: & iustificatis propendam esse vitam æternam, non solum tanquam gratiam Filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissam: verum etiam tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddendam.

Probatur tertio ratione. Nam, omnis virtus quæ in suo conceptu, formali potest abstrahi ab omni imperfectione, est Deo tribuenda formaliter & proprie. Sed Iustitia proprie & strictè sumpta est huiusmodi: ergo &c. Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur: quia si loquamur de iustitia præcisè prout versatur circa debita vel indebita inter alios, per simplicem affectum, amando iusta quæ talia, & odinando iniusta: nulla in huiusmodi affectu potest fingi imperfectio. Iusta enim quæ talia, quorumque sint, id est, siue nostra siue aliena, sunt amore digna: Et iniusta vt talia, sunt digna odio. Quare illi affectus sunt conuenientes obiectis, & ita præcisè nihil habent imperfectionis & disconuenientie: hos autem affectus pertinere ad virtutem Iustitiæ

proprie dictæ ostendemus in tractatu de iustitia. Spem loquamur de iustitia pro-
 ut versatur circa iusta seu debita, vel ini-
 iusta siue abstractè sumpta secundum aliquem
 conceptum præcisum, rationem iustitiæ ad-
 huc retinentem, nihil habet imperfectio-
 nis propter quam Deo convenire non pos-
 sit. Nam multa Deo debentur à creaturis de-
 bito stricto & rigoroso, quæ Deo potest
 velle & exigere ab illis, quæ debita sunt,
 hoc est, ex affectu iustitiæ. Exempli causâ, de-
 betur Deo ut non lædatur eius honor, &
 bona existimatio apud alios homines (per
 blasphemias, execrationes, & hæreses eius
 gloriæ detrahentes: ut non contemnatur: ut
 honoretur ut eius mandata serventur. Quæ
 si non fiant, debetur illi satisfactio, vel pœna
 & restitutio honoris læsi, potestque Deus om-
 nia illa exigere pro iure suo à creaturis. Ne-
 que in eo quoddam Deus exigit, vel quoddam crea-
 turæ debeant Deo, est vlla imperfectio a-
 pud Deum. Quare saltem eatenus potest esse
 iustitia in Deo respectu creaturarum, ad
 volendum & exigendum ea quæ sibi strictè
 debentur à creaturis.

76. Sed neque etiam repugnat Deum debere
 aliquid creaturis intellectualibus, habereque
 affectum iustitiæ inter ipsum & creaturas ad
 reddendum quod illis debet. Licet enim
 diuinæ maiestati repugnet debitum erga
 creaturas aliunde quam ab ipsius libera vo-
 luntate primariò profectum: non tamen re-
 pugnat ut libera sua voluntate, & benigni-
 tate, se aliquarum rerum debitorem illis
 constituat, purâ mercedis promissæ sub con-
 ditione onerosæ operis à creatura exhiben-
 di: ut fecisse testantur loca Scripturæ, Pa-
 trium, & Conciliorum suprâ relata quibus
 adde illud Matth. 5. *Mercos vestra copiosa
 est in calis.* Item licet habere ius ad aliquid,
 & respectu alicuius, quando contrahi po-
 test sine voluntate & actione illius, ad quem
 tale ius refertur, prout contingit in crea-
 turis, dicat imperfectiorem in eo ad quem
 est ius: si tamen illud ius, & omnis res in
 qua fundatur, sit ex voluntate & actione
 libera eius qui, illud ius solutus est; tol-
 litur talis imperfectio. Habere autem ius
 ad aliquid, ex vi huius præcisæ conceptus,
 non excludit quin ius illud haberi possit
 ab ipso e deriuatum, qui illud ius volutu-
 rus est: ergo in conceptu iuris & debiti
 præcisè sumpti non includitur imperfectio,
 propter quam Deo repugnet. Neque pro-
 pterea Deus se creaturis inferiorem & sub-
 ditum constituit. Nam ad rationem debiti
 id non exigitur: sed potest etiam in non
 subdito inesse debitum. Et istud Dei de-
 bitum non est ad hoc, ut Deus ad reddendum
 potest inuitò compelli ab alio: sed
 tantum ut Deus qui seipsum negare non
 potest, neque iniuste agere, habeat aliquam
 necessitatem à seipso faciendi illud, ad quod
 suscepit obligationem iustitiæ. Propter quod
 dicunt interdum sancti Patres, Deum non

tam creaturis, quam sibi ipsi debere quod de-
 bet. Vtteriùs debitum illud Dei, & ius quod
 ex aduerso illi respondet ex parte creaturæ, non
 facit ut res, in quas Deus creaturis ius tri-
 buit, subtrahatur alto & supremo eius do-
 minio. Hoc enim dominio perseverante, po-
 test ius in illas competere creaturis: sicut ipsis
 creaturis competit ius alijs in alias, non ob-
 stante supremo Dei dominio circa illas: sicut
 item ciuibus competit ius in bona propria,
 non obstante alto Republicæ dominio &
 iure, cui subsunt eadem bona: sicut denique
 quando Princeps suppleximus per donationem,
 venditionem, aut alium contractum, vel ti-
 tulum, dat ius subdito ad aliquid, & in illum
 transfert dominium proprietatis, non propterea
 exiit se iure alto, per quod potest de re illa
 disponere, deque subdito ipso, prout bono cõ-
 muni expedit. Itaque nulla est imperfectio in
 Deo, ex eo quod se liberè debitorem crea-
 turis constituit ad aliqua: ut ad ea quæ pro-
 misit hominibus sub conditione onerosæ ali-
 cuius operis exhibendi, puta vitam æternam,
 si mandata seruauerint, vel ad dandum illis
 auxilium necessarium, & faciunt quæ ipsi in-
 iungit, exempli gratia, ad credendum super-
 naturaliter, sperandum, diligendum, absti-
 nendum à peccato, & similia.

17. Dico secundò, tres supra commemoratas
 iustitiæ species, legalem scilicet, commuta-
 tiuam & distributiua, esse in Deo proprie
 & formaliter. De legali probatur: quia Deus
 tanquam supremus Princeps totius vniversi,
 habet ius disponendi de omnibus, & derogandi
 iuribus creaturarum, prout bono commu-
 ni expedit. Quo iure vitur in his præcipiendis
 & exigendis, quæ bono communi expediunt
 eodemque olim in Regum quorundam des-
 titutione, aliorumque institutione interdum
 vsus est tempore veteris Testamenti, ut vide-
 re est in quatuor libris Regum.

De commutatiua patet: quia ad illam
 pertinent promissiones & conuentiones onero-
 sæ, quas Deum cum creaturis intellectualibus
 inuisse suprâ ostendimus. Item ad illam per-
 tinet ius exigendi pœnas, aut satisfactione pro
 iniurijs illatis. Deus autem illas exigit, ut sibi
 debitas à peccatoribus. De distributiua denique
 probatur: quia Deus, seruata æquitate iustitiæ
 distribuit bonis quadam communia particu-
 laribus communitatis, secundum ius quod
 quisque habet participandi illius bonis, eò
 quod membrum est talis communitatis. Ex-
 gr. de valore cõmuni sacrificij Eucharistiæ, &
 de suffragijs communibus Eccl. tantum cuius
 dat, quantum postulat ius quod habet, funda-
 tum in eo quod sit membrum Eccl. debeatque
 eius bonis participare, debitis eò titulo quia
 membrum illius est. Quæ omnia magis con-
 firmabuntur respondendo, argumentis eorum
 qui contrarium sentiunt.

Porro in iustitia legali Deo tribuenda
 sentiunt nobiscum Scot. in 4. dist. 46. q.
 1. 5. *Hic primò videndum:* Dominic. So-
 tus libro 3. de iustitia quæst. 5. art. 4. ad 1.
 sub finem, Rebell. lib. 1. de iustit. q. 4. sect. 4.

17. Iustitia le-
 galis est in
 Deo for-
 maliter.

Itemque
 commuta-
 tiua, & di-
 distributiua.

TINO
 US
 in part
 VI

Lorca 1. 2. disp. 44. de gratia §. Hac ergo ratione, Ruis disp. 57. de voluntate Dei sect. 2. licet non consentiant in modo explicandi.

In commutativa, consentiunt Aureol. in 1. dist. 46. art. 1. columna vltima: Suares in opusculis, disp. de iustitia Dei sect. 2. Valent. q. 21. puncto 1. Rebell. lib. 1. de iustitia q. 4. sect. 4. Granada tractatu 7. de voluntate Dei disp. 4. sect. 2. & 3. Cabrera 3. p. q. 1. art. 2. disp. 7. Didacus Aluares 3. p. disp. 4. num. 33. & disp. 3. num. 10. Fasol. ad q. 21. art. 1. dubit. 2. num. 31. & 32. & quidam alij Recentiores.

In diffinitiva denique, S. Thom. quaest. 21. art. 1. in corp. Magister in 4. dist. 46. §. Sed quomodo: Ricard. Argent. Carthus. eadē dissonatione. & Capr. in 1. dist. 45. q. unica art. 1. conclus. 14. Ferrariensis 1. contra Gent. cap. 93. §. Sed dubium: Bellarm. lib. 5. de iustit. cap. 16. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 7. disp. 7. num. 5. Didac. Ruis disp. 58. de voluntate Dei, sect. 3. Fasol. ad q. 21. art. 1. dubit. 3. num. 45. Cūmel. 1. 2. q. 114. art. 1. disp. 3. Dominic. Socus, Rebell. Valent. Cabrera & Didacus Aluares, locis pauld ante citatis pro iustitia commutativa. Nam vtramque ibidem admittunt: & Suares supra sectione 3.

SECTIO III.

Refutatur contraria sententia.

19. Contrariae sententiae.

Contrarium sentiunt non pauci, quorum aliqui à Deo remouent iustitiam legalem, vt Argens. in 4. dist. 46. q. unica art. 1. ferè initio, Bassolius ibidem, & Suar. in opuscul. de iustitia Dei sect. 4. num. 8. & Fasol. ad quaest. 21. art. 1. dubit. 4. Alij vero commutatiuam, vt S. Thom. q. 21. art. 1. Ricard. Argent. Capreolus. Caietan. Bellarm. Cūmel. & de Salas locis proximè citatis. Alij denique etiam distributiua, & omnem iustitiam sibi & propriè dictam, vt Alexander, Durand. Paludan. Gregor. & alij quos è recentioribus sequuntur Vasq. disp. 85. & 86. Molina & Artubal q. 21. art. 1. Less. lib. 2. de iustit. cap. 18. dub. 3. num. 57. Aegidius ConincK. disp. 8. de actibus supernaturalibus dub. 5. conclusionē 3. & 4. Mærat. disp. 14. de iustitia, & Delugo disp. 3. de Incarnat.

Argumentum quo Suares loco citato mouetur ad remouendam à Deo iustitiam legalem, est quia iustitia legalis in suo conceptu formali imperfectionem includit, nimirum quod sit ad alterum tanquam superiorem: quodque respiciat ius & bonum alterius tanquam altius & excellentius, quam proprium, scilicet vt bonum totius & commune. Deus autem respectu nullius commu-

nitatis potest comparari vt pars: nec ius aut bonum alterius tanquam excellentius respicere: ergo non potest illi conuenire formalis iustitia legalis.

Respondeo sicut iustitia distributiua non solum est in Principe, vel eo qui nomine communitatis bona vel onera communia distribuit: sed etiam in particularibus, non quasi per ipsos distributio facienda sit; sed vt sint contenti iusta distributione, ac circa illam rectè afficiantur, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. ad 3. ita iustitiam legalem non modo esse in subditis & inferioribus: sed & in Principe & communitate ipsa: atque in illa respicere ius altius & superius, non respectu sui, sed respectu inferiorum sibi subditorum, de quorum bonis & iuribus potest disponere propter bonum commune, eaque exigere à subditis, quæ ratione illius boni communis debentur. Atque ita Deus non respicit ius superius seipso: neque bonum alterius tanquam altius & excellentius, quam proprium, quod bono cuiuscunque communitatis excellentius est: sed tantum respicit ius superius particularibus, sibi tanquam supremo Principi subditis: & bonum altius & excellentius bono illorum proprio: nempe bonum commune.

Argumenta verò quibus Vasques contendit non esse in Deo iustitiam commutatiuam hæc sunt. Primò cap. 3. citatæ disp. 85. ait iustitiam & alias virtutes sumi debere à Theologis, cum Deo applicantur, secundum propriam & formalem rationem quæ sumuntur ab Aristotele, alijque Philosophis: & non posse Deo tribui quando inuolunt in proprio conceptu primario & essentiali aliquam imperfectionem.

Respondeo verum quidem id esse: sed nego iustitiam abstractissimè sumptam, prout est affectus rectus & constans erga iustum & iniustum, id est, erga debitum & indebitum, inuoluere imperfectionem.

Secundò opponit capit. 4. iustitiam commutatiuam consistere in æqualitate dati & accepti, quæ inter Deum & creaturam esse nequit. Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Roman. 11. & Iob 35. Si inisse egeris, quid donabis ei? aut quid de manu sua accipiet? nimirum quia cum sic omnium dominus, nil potest ei offerri, quod iam suum non sit. Addit Vasques neque iustitiam vindicatiuam esse in Deo: quia hæc, duo includit: nempe punitionem iniuriæ: & remotionem damni illati per illam, reducendo ad æqualitatem, quæ inter Deum & creaturam esse nequit: neque potest Deo damnum inferri. Præterquam quòd iustitia vindicatiua non est propria species iustitiæ: sed tantum pars attestatiua, vt docet, D. Thomas 2. 2. quaestio, 80. art. 1. c.

Ad primum Respondeo æqualitatem non esse necessariam vniuersim ad constituendum obiectum iustitiæ commutatiuæ: sed solum

solùm rationem debiti fructu sumpti, aut eius oppositi, ut suppono ex tractatu de iustitia. Ratio autem debiti reperitur tum in creaturis erga Deum: tum etiam in Deo ipso erga creaturas, ratione æquæ, pro quibus se debitorem erga illas constituit. Et licet debitum illud in radice sit Deo liberum & voluntarium, supponatque aliquid à Deo gratis acceptum, neque oriatur ex aliquo, quod non sit Dei vltimo modo (in quo differt à debito creaturarum æquæ sensu potest intelligi S. Thom. q. 21. art. 1. c. cum negat debitum esse in Deo) est tamen verè ac propriè debitum, ratione pacti diuini, & ratione operis à creatura exhibiti, postquam Deus pro illo opere mercedem promittit, & debitorem illius se constituit, ut ostendimus supra ex Chrysothomo alijsque Patribus. Cumque actus nostros liberos in Dei obsequium exercemus, ad implendam conditionem onerosam à Deo nobis impostam: verè damus, aliquid Deo quoddam antea non erat suum, & iam incipit esse in actuali Dei dominio: pendetque à nostra libertate, ut sit, vel non sit: quia pendet à nostra libertate ut actus illi existant, vel non existant. Si autem non existunt, non sunt sub actuali Dei dominio.

Ad secundum Respondeo 1. non esse necesse ad vindictam & pœnam inferendam, fuisse damnum alicui illatum: sufficit contra illius actum iurisse, & damnum inferre voluisse. 2. Potest Deo inferri damnum in bonis externis, ut si eius gloria & bona existimatio apud alios minuitur per blasphemias & hæreses. 3. Iustitia vindicativa, exigens vindictam quatenus debitum iuri læso ad illud reparandum, est vera iustitia: licet quatenus tendit ad repulsionem proprii nocenti ut talis, sit tantum pars potestatiua iustitiæ, ut ait S. Thomas art. citato.

Tertiò, opponit Vasq. cap. 5. creaturam se habere ad Deum ut seruus se habet ad Dominum, & illius ad patrem, inter quos non est iustitia, ut docet Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 6.

Respondeo Aristotelem ibi loqui de filio paruulo, quando est patris, & quatenus est aliquid patris: itemque de seruo prout est aliquid Domini: qua ratione negat esse inter patrem & filium, interque Dominum & seruum, obiectum iustitiæ, quæ est virtus ad alterum, non autem circa se & sua. Sed hæc de se dicimus alibi, ubi ostendemus inter illas, etiam ut tales, esse iustitiam quoad nonnulla: & filium ac seruum committere verè peccatum furti, si Patri & Domino rationabiliter inuito bona surripit; teneatque ad restitutionem.

Respondeo secundo, creaturam secundum multa habere se ad Deum, sicut se habet seruus ad Dominum, & paruulus filius ad patrem; non tamen in omnibus. Nam Deus ab initio constituit hominem, &

reliquit eum in manu consilij sui, Ecclesiastici 15. Quare homines se habent ad Deum ut sibi permitti & emancipati, ac velut manumissi. Insuper Deus licet multò sit maior, & excellens infinitè supra creaturam, quàm pater supra filium, aut Dominus supra seruum: nobilitauit tamen creaturam rationalem, & contulit ei ius aliquod, etiam circa se. Iuxta illud 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ*, &c. Eademque benignitate Deus, qui poterat imperare quicquid boni operis in creaturæ facultatibus positum est, voluit tamen ut quædam essent opera supererogationis, pro quibus ampliore mercedem promittit, iuxta illud Math. 19. *Si vis perfectus esse*, &c. Alia denique multa sunt, quæ ostendunt Deum egisse cum hominibus non tanquam cum seruis & mancipijs, aut cum paruulis filijs: sed tanquam cum ingenuis & maioribus.

Quartò, instat Vasq. cap. 6. Debitum ortum apud Deum ex promissione nobis facta non esse debitum iustitiæ: quia est promissio facta seruo, qui simpliciter est in potestate Domini. Sed hæc ratio nihil amplius efficit. Licet enim Deus habeat supremum & vniuersale dominium in omnes creaturas, & in omnia bona ac iura cuiusvis creaturæ, ac denique in omnia ad ipsas pertinentia, quoniam est earum auctor, & omnium largitor bonorum, quo dominio si velit vti, nihil vili debeat, non tamen vtitur illo supremo iure, necque secundum illud debitorem se constituit, sed velut pater agens, & renuncians vsui supremi illius dominij: sicut etiam renunciat viti iuris quod habet agendi nobiscum in omnibus durius ac seuerius, velut cum seruis & mancipijs. Elegit enim quod eius benignitati & misericordie erat conuenientius, ut etiam cum hominibus agat velut cum filijs, & velut cum amicis, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur & simus*. Et Ioan. 16. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*.

Porro obligatio orta ex promissione Dei sub conditione operis meritorij iustorum, non est tantum fidelitatis, ut male idem Vasq. & alij quidam affirmant: quia non oritur ex sola promissione assertiua, & sola decentia debitoris: sed ex aliquo titulo ac iure ipsius creditoris, fundato in ratione aliqua existente extra debitorem: nimirum in opere propter quod Deus se obligauit creaturæ. Quod ex eo confirmatur: quia Deus sine dubio debet saltem ex fidelitate veniam & gratiam iustificationis peccatoribus penitentibus, quam illis promittit, ut tamen longè aliter debet gloriam iustis, & augmentum gratiæ, propter ipsorum merita, ut docent Scriptura, Patres, & Concilia: neque vtriquè prima iustificatio vocatur merces, sicut

25.
Deus se obligans creaturis non vtitur suo dominio suppremo.

TINO
US
part
VI

Aristot.

Tom. 3.
disput. 27.

24.

vocatur vita aeterna. Ergo longè aliter debetur vna quàm alia. Ergo vtraque non debetur solo & simplici titulo promissionis, & debito solo fidelitatis.

26. *Diluitur argumentum impugnans iustitiam Dei distributivam.*
 Quisquid denique, ad probandum non esse in Deo iustitiam distributivam opponit Vasq. cap. 2. disp. 86. num. 12. æqualitatem em, quàm Deus servat nobiscum, aut in largitione perfectionum naturarum, aut in præmium vel pœnarum distributione, non esse distributivam iustitiæ: quia Deus hac in re non attendit per se ad æqualitatem proportionis & geometricam, sed ad arithmeticam rei ad rem. Ergo nec ipse, nisi sua distributio servans prædictam æqualitatem, erit iustitia distributiva.

Respondeo hoc argumentum nihil obesse nobis, qui non constituimus iustitiam Dei distributivam in illa largitione aut pœnarum distributione: sed in tributione, vel distributione bonorum, aut onerum communitatis, in eius membra, pro iure cuiusque particularis, aut debito, in eo fundam. quod sit membrum communitatis, debeatque illius bonis participare, aut onera sustinere, cum debita proportione. Sic autem Deus distribuit valorem communem sacrificij Eucharistici, & communia Ecclesiæ suffragia.

SECTIO IV.

Solvuntur alia Recentiorum quorundam argumenta.

27. *Habeantur creaturae ius iustitiæ erga Deum.*
 Contra id quod diximus dari verum & proprium ius iustitiæ inter Deum & creaturas reciprocè, suse disputant aliqui Recentiores, quorum disputatio vniuersa ad duo capita reduci potest. Primum est, creaturas nullum ius iustitiæ habere posse adversus Deum, quod scilicet Deus sine iniuria creaturarum non possit violare: siue hoc ius nascatur nobis ex pacto & promissione Dei, siue ex nostris operibus. Secundum est, Deum quoque nullum iustitiæ ius habere circa creaturas.

Primum probatur hoc argumento: Si Deus esset obligatus creaturæ ex iustitiâ, eo ipso non esset essentialiter & perfecte Dominus vniuersorum. Deus autem non potest non esse perfectissime vniuersorum Dominus: ergo nec obligari ex iustitiâ. Minor, inquit, videtur manifesta. Alioquin si Deus posset à se abdicare dominium alienius operationis nostræ: posset etiam abdicare dominium vniuersum, ex promissione vel pacto. Item abdicare dominium cœli & terræ, illudque transferre in creaturam. Imò posset etiam ex sua promissione fieri servus creaturæ, promittendo illi suas actiones & operas, ita vt ex iu-

stitiâ teneretur ei obsequi ad nutum, in quo formalissime essentia servitutis consistit. Quæ omnia absurdissima sunt. Maiorem verò, reiectis aliorum probationibus, confirmant, quis si Deus esset creaturæ obligatus ex iustitiâ, iam resularet in creatura aliquod ius adversus Deum. Repugnat autem cum dominio perfectissime, quod servus acquirit aliquid ius, quod ius non acquiritur Domino: cum omne id quod acquirit servus, vt servus, acquirit Domino. Ergo si creatura acquirit sibi aliquid quod non acquiritur Deo, hoc ipso arguitur Deum non esse perfectissime Dominum illius creaturæ.

Respondeo primò, servum, etiam quæ servum, posse & consensu Domini acquirere aliquid ius, cui Dominus sine iniuria obistere non possit, vt ostendemus in tractatu de iustitiâ. Atque ita creatura similiter possunt acquirere ius aliquod respectu Dei, ex ipsius consensu, nempe promissione & pacto, cui iuri Deus non possit obistere sine iniuria in sensu composito, id est, supposito & stante promissione. Quod non esse contra perfectionem dominij fatentur illi ipsi quos impugnamus, modo posse in sensu diuiso, id est, seclusa promissione.

Respondeo secundò servum, non veterum, sed aliter consideratum vt personam rationalem, habere omnium consensu, vt iidem Auctores fatentur ibidem, multa iura, etiam respectu ipsius Domini posseque alia multa acquirere, consentiente Domino, seque illi voluntariè obligante, & pacifcente. Creatura verò, licet essentialiter sit creatura, tota quanta est, & serva Dei: potest tamen considerari & tractari velut manumissa, & facta sui iuris aliquo modo. Quo pacto sæpe Deus cum illa contrahit, non vtens quoad hoc ius primo iure creatoris & Domini.

Prætermitto dicere adversarios in reijciendis ijs, quæ alij afferunt ad probandam maiorem argumenti ab ipsis propositi, & à nobis iam refutati, multa dicere falsa & improbabilia. Vt quod aliquis habeat dominium rei eodem instanti, quo se illo priuat, & rem alteri donat: id est, sit sua eodem instanti, quo non est sua: & sit dominium in donante eo instanti, quo illud amplius non habet, sed in alium transiit. Quod qui pallium suum, aut rem aliam destruit, sit Dominus rei, quando illam destruit: non logicè, defectu relationis prædicamentalis, quæ requirit existentiam termini: sed quasi physiq., & moraliter: id est, (omisso examine illius distinctionis) sit Dominus nullius rei, & Dominus nihili: res enim, quæ destruitur, & definit esse; eo instanti, quo definit esse, non est, & nihil est. Destructio enim terminatur ad nõ esse rei, sicut productio ad esse: & eodem instanti, quo est actio, aut quasi actio,

est pariter illius terminis, id est, esse aut non esse rei. Quod denique idem eodem instanti esse Dominus, & seruus respectu eiusdem, & ad idem: Si v. g. Petrus Dominus Paulum seruum suum eodem instanti manumittat, & Dominum suum constituat. Quod est dicere Petrum esse superiorem eo instanti, quo est inferior respectu eiusdem; & Petrum habere ius præcipiendi Paulo eodem instanti: quo habet debitum illi parendi: ut si quis diceret Paulum esse in peccato mortali eo instanti, quo absoluitur sacramentaliter, & quo est in gratia. Neque ad hæc dicenda cogit id, quod opponunt iidem auctores; tunc scilicet maxime esse ius, quando exercetur, & quando ino utimur. Neque enim iure utimur, aut illud exercemus eo instanti, quo illud destruimus: sed exercemus voluntatem nostram, cui subsunt iura nostra, quæque potest illa destruere, & liberè illis sese abdicat, si vult.

Instant quia, si Deus per contractum vel promissionem posset obligari ex iustitia, posset ex suo pacto vel promissione fieri seruus suæ creaturæ. Hoc autem repugnat perfectissimo Dei dominio. Non enim est perfectissime & essentialiter Dominus, ille qui potest fieri seruus eius, cuius est Dominus. Ideoque omnes negant in Deo virtutem obedientiæ: quia non potest unquam habere superiorem, cui teneatur obedire.

Respondeo Deum, qui nihil potest nisi decorè & sapienter agere, non posse quiduis promittere, & ad quæcunque se obligare ex pacto: neque tantum de sua maiestate decedere contrahendo cum creaturis, ut illarum se propriè seruum constituat. Imò non potest non semper retinere dominium illud, supremum & amplissimum, ubi subsunt omnia iura creaturarum, sicut iura particularium subsunt iuri alto communitatis.

33. Secundum caput disputationis, quod scilicet Deus non habeat ius iustitiæ strictæ respectu creaturarum, id est, quod creaturæ nihil Deo ex iustitia debeant, docent absolute aliqui eorum quos impugnamus: alij verò restringunt & modificant, aientes posse quidem hominem peccare contra Deum in materia iustitiæ, & violare iniuste ius Dei; tamen non omne peccatum, imò rarò, habere rationem iniustitiæ strictæ sumptæ, neque etiam ex peccato manere, nisi forte rarissime, aliquam obligationem iustitiæ ad satisfaciendum.

Primum argumentum illorum est: Homini erga Deum stricta iustitia esse non potest, non potest esse iniustitia contra iustitiam strictè sumptam. Atqui hæc esse non potest: ergo nec illa. Minorem probant. Quia si posset Deus accipere ab homine iniuriam quando in suo honore quomodocunque læditur, sequeretur nullum

esse peccatum, quod non sit iniustitia; quia nullum est quo Deus non inhonoretur, siue graviter, siue leuiter. Sequeretur item nullum posse committi peccatum contra Deum, quod non habeat duplicem speciem malitiæ: vnam iniustitiæ contra Deum: alteram virtuti alteri particulari repugnantem: ut temperantiæ, si ebrietas est.

31. Respondeo minorem esse falsam. Ad cuius primam probationem dico omne peccatum esse iniustitiam, seu iniuriam Dei materialiter: formaliter verò non nisi quando peccator aduertit se facere contra ius Dei, id est, contra Deum pro iure suo præcipientem oppositum, quod ius non violatur sine iniuria & obligatione ad penam. Ad secundam probationem, Nego assumptum, si sermo sit de malitia formali: si autem de materiali, nego absurdum esse id quod inferitur. Nullum enim est peccatum quod non habeat saltem materiale malitiam ingratiitudinis, inobedientiæ, iniustitiæ erga Deum, defectus amoris proprii supernaturalis, & amoris diuini seu charitatis. Quæquam hæ rationes malitiæ generales, cum diriguntur peccato intemperantiæ, & similibus, oppositis alijs virtutibus, etiam si scienter & liberè admittantur, non sunt necessariò in confessione explicandæ: quia sunt generales, & satis intelliguntur quando exprimentur aliæ species peccatorum.

23. Secundum argumentum: Si posset hominis erga Deum esse stricta iustitia & iniustitia, sequeretur hominem obligari per se, & ex natura rei, post quodcumque admissum peccatum, ad statim agendam poenitentiam, sicquæ Deo satisfaciendum. Consequens est falsum. Maioris verò sequela probatur, quia ex omni iniuria stricta oritur per se, & ex natura rei, obligatio statim satisfaciendi.

Respondeo duplicem esse satisfactionem debitam pro iniustitia. Vna est restitutio boni ablati, aut ablatio mali illati. Et de illa verum est, statim post læsionem urgere eius obligationem: ut, qui famam detraxit, repetatur statim reddere: qui Deo per blasphemias vel hæreses honorem apud alios abstulit, agnendo malam de illo existimationem; peccetur statim honorem Dei læsum reparare. Alia satisfactio est poena, vel poenæ loco exhibenda. Et huius obligatio non urget, nisi quando ab offenso exigitur, & à Iudice infligitur; si gravis est: vel, si est leuis, & non ignominiosa, sufficit eam exhibere aliquando sine mora vituperabili, id est, non nimis ea differre, modo eius dilatio non sit per se loquendo nociva personæ offenso. Talis autem est satisfactio quæ communiter oritur ex peccatis respectu Dei.

Dices, quisquis peccat, auferit Deo honorem aliquo modo: quia Deum minus

Gg

Habeatne Deus proprie ius iustitiæ respectu creaturarum?

Qui peccat, non tenentur statim agere poenitentiam.

TINO
US
part
VI

æstimat. Respondeo non ita esse: multi enim peccant intellectu non malè disposito, neque Deum minùs æstimante. Si quis autem malam Dei æstimationem haberet, teneretur statim illam deponere, sicut teneretur efficere ut alij deponant, si quam illis ingeneravit.

Instabis quòd quisquis peccat mortaliter, aufert Deo aliquod bonum, nempe gratiam sanctificantem, quæ licet nobis donetur, subest tamen Dei dominio. Ergo teneretur statim illam restituere: adeoque teneretur statim conteri, sicut confiteri sacramentaliter.

Respondeo gratiam sanctificantem, & alia dona supernaturalia, quæ nobis hac in vita infunduntur, subesse nostro dominio. Quamvis autem peccatis quando abutimur nostro dominio, ea destruendo: non tenemur tamen ad eorum restitutionem. Quemadmodum licet peccemus profundendo pecunias, & alia bona nostra prodigendo: non tamen tenemur ad eorum restitutionem Deo vel Reipublicæ. Ratio est quia non tenetur ad restitutionem qui aufert, aut destruit bonum quod habet in suo pleno dominio. Malè verò obijciunt quidam Recentiores ex hac responsione sequi non teneri peccatorem ad recuperandam gratiam. Quamvis enim per se peccatis non teneretur ob iniuriam Deo factam in amissione illius doni: tamen teneretur ex præcepto charitatis, quo obligatur subinde amare Deum, & habere illum amicum, quantum in se est. Atque etiam ex præcepto studij propria salutis, quam non potest sine gratia consequi. Quemadmodum ille qui prodegit bona sua, teneretur ea recuperare, si non potest aliter extremam necessitatem evadere.

34. Tertium argumentum: Ut homo sit iniurius Deo non sufficit eius actum esse contra Dei præceptum, sed debet esse contra Deum exigentem aut prohibentem tale opus, formaliter ut Dominum proprietatis, & non solum ut Dominum iurisdictionis. Sicut qui non obedit Prætori mandanti vias publicas ornari, non dicitur iniurius, sed inobediens: quia Prætor id tantum præcipit velut Dominus iurisdictionis.

Respondeo negando antecedens. Sufficit enim ad iniuriam ut fiat contra ius & voluntatem superioris pro iure suo aliquid exigentis. Et qui non parent tali iuri, ut legibus & præceptis à iurisdictione manantibus, possunt cogi obedire, & pœnæ subijci ac satisfaciendum iuri læso, ut patet ex communi usu. Suntque non modò inobedientes, quatenus non deferunt honorem debitum mandanti Superiorum: sed & iniurij, quatenus iuri illorum aduersantur.

35. Quartum argumentum: Si teneremur ex iustitia satisfacere Deo pro peccatis; vel teneremur ad reddendum in individuo il-

lud quod abstulimus, vel ad reddendum in æquivalenti. Primum est impossibile: quia non possum reddere Deo solum ipsum actum amoris v. g. quem iniuriosè negavi tali tempore cum tali auxilio, & debitum ex præcepto pro tali instanti iam elapso. Secundum quoque falsum est: quia ex iniusta acceptione præterita, solum obligat iustitia ad restituendum æquivalentem, quando læsus minus habet in bonis, quam deberet habere. Deus autem ex amissione mei actus v. g. quem exigebat pro tali instanti, nunc habet minus solum aliquam gloriam extrinsecam, quæ ex illo actu resultasset. Ergo solum tenebor restituere æquivalentem gloriam extrinsecam, pro illa quam Deus minus habet ex omissione mei actus. Ad hæc verò gloriam restituendam non obligat iustitia: quia illam potest sibi Deus pro libito recuperare, quoties voluerit, per innumeras vias, movendo me efficaciter ad actus egregios, ex quibus æqualis vel maior gloria ipsi Deo resultat: sicut non teneor ex iustitia satisfacere damnatum quod Petro intulit aliqua iniusta actione, si ipse Petrus curam habeat totius substantiæ & pecuniarum mearum, possitque pro libito meis sumptibus suum recuperare.

Respondeo primo, hoc argumento probari tantum nos non teneri ad satisfactionem sumptum pro restitutione: non autem sumptam pro pœnâ, vel locum pœnæ subeunte, quam Deo deberi ordinari pro peccatis post baptismum commissis; esseque tertiam partem sacramenti Pœnitentiæ, docet Tridentinum sess. 14. cap. 3. & 8. post Florentinum in decreto unionis. Et prorsus omnia peccata puniri, nisi à Deo remittantur, certum est.

Respondeo secundo, ex peccatis nostris interdum auferri gloriam Deo, quando scilicet contemptu Dei, blasphemis, vel hæresibus, & similibus modis, malam de Deo opinionem in alijs gignimus, pro quibus tenemur restituere honorem Deo ablatum, & quidem ex iustitia, ut fatentur in eo casu Recentiores illi quos nunc impugnamus.

Tertio, licet Deus possit aliâ via recuperare gloriam extrinsecam, quâ illum privamus omissione nostri actus præcepti; non sequitur nos ideo non obligari ad restitutionem quam Deus à nobis expectat, & in libera nostra potestate constituit, nolens per se rem suam aliter recuperare, neque tamen volens iniuriam condonare. Idemque dico de Petro in exemplum allato. Atque hoc ipsum iteri debent iidem recentiores. Ajunt enim ex peccato, quo quis notabiliter læsæ æstimationem Dei apud plebem, aut quo ex contemptu inhonoraret gravissimè Deum, oriri obligationem ex iustitia, reparandi illud damnus. Et tamen Deus, per alias vias posset illud reparare, excitando effi-

faciter plebem ad convenientem de se existimationem, per seipsum, vel per alios, à quibus tale damnum non est passus.

SECTIO V.

De misericordia, & alijs virtutibus divina voluntatis.

37. **M**isericordiam Dei passim commemorat & valde commendat Scriptura. Nec vlla est ratio metaphoricè illam interpretandi. Potest enim Deo continere formalis ratio misericordiae, præcisè sumptæ ab imperfectione, cum qua in nobis reperitur. Nampe pro puro affectu subueniendi miseris alterius, aut erga illam conuenienter tendente, propter honestatem specialem quæ est in illa subuentione, aut tendendi modo: abstrahendo à condolentia, compassionè, & tristitia, cum qua solemus pauperum vel indigentium misereri, mouerique ad subueniendum illis, & ex qua dicitur aliquis misericors, quasi habens miserum cor, vt ait S. Thom. q. 21. art. 3.

38. Dubitari quoque non debet liberalitatem & magnificentiam formaliter & propriè conuenire Deo, qui dat omnibus affluenter, vt dicitur Iacob. 1. v. 5. & à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, ibidem v. 17. Consistit autem liberalitas in donando largiter, non propter spem retributionis, aut alicuius commodi: sed propter honestatem quæ est in donatione conuenienter facta, & non aliunde debita. Remouenda tamen à Deo est imperfectio liberalitatis creaturæ, abdicantis se totaliter dominio proprio rerum quæ donantur. Deus enim manet semper Dominus earum rerum, quarum aliquod ius & dominium tribuit creaturis. Benignitas quoque, & veritas seu veracitas, Deo manifestè conueniunt, illiquè sæpius tribuuntur in sacris literis.

39. De alijs virtutibus dicendum est nullam esse quas secundum affectum aliquem, secretum ab omni imperfectione, Deo formaliter non conueniat. Vnde sequitur actus diuine voluntatis secundum omnia virtutum moralium genera distingui posse aliquatenus: sicut actus intellectus diuini secundum omnia virtutum intellectualium genera distingui possunt. Licet virtutes plurimæ sint, quarum aliqui actus & affectus propter imperfectionem conuenire illi non possunt.

Pro cuius rei declaratione Nota primò, aliquos esse actus & affectus virtutum, qui licet boni & honesti, supponunt tamen aliquam imperfectionem in agente. Quo modo aliquis actus temperantiæ supponit vsum cibi & potus: & actus fortitudinis ferendi dura patienter, & aggrediendi ar-

dua, supponunt imperfectionem agentis, propter quam illi est aliquid durum & arduum. Sic etiam actus religionis, quibus ab inferiori tribuitur honor excellentiæ supremæ, supponunt gradum superiorem illi à quo tribuitur honor. Vnde hi actus Deo tribui non debent. Idemquæ censeo de gratitudine proprie dicta, cum Suarez lib. 12. de gratia cap. 30. numero 12. & sequentibus, Salas 1. 2. tom. 1. tractatu 7. disput. 7. numero 57. Regidio Coninck disput. 8. de actibus supernaturalibus dub. 1. numero 8. Theophilo Raynaudo dist. 8. Theologiæ naturalis quest. 1. art. 5. numero 94. Ruis disput. 55. de voluntate Dei sect. 4. numero 8. Quia gratitudo proprie dicta respicit essentialiter beneficium & benefactorem. At creatura non potest Deo conferre beneficium, sed tantum exhibere obsequium: infinita enim & supremèminentissima eius maiestas, ac sufficientissima sibi ipsi, eum reddit incapacem beneficij à creaturis accipiendi. Adde quod ex Aristotele 4. Ethic. cap. 3. gratitudo formaliter & essentialiter respicit alium vt superiorem. Sic enim ibi ait de magnanimo: *Est etiam talis vt beneficia conferat, & pudeat ipsum si suscipiat beneficia. Illud enim superioris est, hoc inferioris: & in retribuen-do, maiora beneficia conferet.* Et paulò post: *Est enim is qui suscepit, inferius eo qui contulit beneficium; ipse verò vult superior esse.* Hæc Aristoteles. D. Thom. 2. 2. quest. 106. art. 3. c. ai. *Benefactorem, in quantum huiusmodi, esse causam beneficiarij: & ideo beneficiarium conuenit ad benefactorem, vclut ad suum principium.* Denique neque Scriptura, neque sancti Patres, neque antiqui Theologi, dixerunt unquam homines Dei benefactores esse, aut Deum esse grati hominibus, foreq; ingrati, nisi piè viuentibus benefacere. Quod silentium arguit eos, præsertim cum frequentè aut ex professo loquantur de virtutibus Dei, serè se aliter ac Vasquem & paucos eum sectatos, qui vt iustitiam Deo constanter negarent in retribuenda mercede bonis iustorum operibus & meritis, rurrerunt ad gratitudinem, quam Deo, nullo auctore vel fundamento solido nixi tribuerunt, vt negarent iustitiam, à Scriptura, Patribus, & Concilijs plus quàm probabiliter agnitam & concessam in tali retributione. Potest tamen Deus habere simplicem affectum erga gratitudinem creaturarum ad se, vel ad alios benefactores ipsarum, quamuis ipse gratus esse non possit.

40. Notandum enim secundò, Præter supra dictos actus virtutum Deo repugnantes, alios esse qui non soluunt imperfectionem: vt affectus amoris & complacentiæ simplicis erga obiectum cuiusque virtutis per se consideratum. v.g. erga beneficium, erga temperata, erga fortia, erga summum honorem supremo tribuendum Qui

Suarez.

Coninck.

Raynaud.

Ruis.

Aristoteli.

TINO
US
part.

Aliqui actus & affectus virtutum Deo repugnant propter imperfectionem quam inuolant.

Nulla est virtus quæ non habeat aliquos actus puros, Deo non repugnantes.

actus ad huiusmodi virtutes pertinent: quia secundum præscriptum rationis versatur circa ipsarum objecta, ut sic. Nec obest quod non feruntur in illa ut exercenda ab ipsomet amante, aut quod non cum difficultate amentur aut placeant. Neutrum enim generatim ad actum virtutis necessarium est: sed ut sic actus aut habitus electius secundum rectam rationem, ex Aristotele 6. Ethic. Et quamvis totales virtutes & integra non versentur tantum circa objecta per se, ut auulsa ab usu eius in quo est virtus: sed valeant etiam ad operandum efficaciter, circa ea quæ sunt coniuncta cum illarum usu & exercitio, & ad vincendas difficultates, si quæ oriuntur respectu operantis: tamen affectus illi per se sunt boni & honesti, & ad easdem virtutes attinent, non ad aliam, formaliter ut tales sunt: possuntque tam perfecti esse, ut nihil illis desit ad perfectissimam efficacitatem, & ad vincendam quamlibet difficultatem. Licet difficultas operantis ad virtutis rationem & exercitium necessaria non sit. Ut ex eo confirmatur, quod tunc maxime perfectæ sunt virtutes, quando difficultas abiecit: quodque in Beatis virtutes sunt maxime perfectæ, in quibus nulla est difficultas: est tamen tantus affectus, ut sufficeret contra omnem difficultatem.

47.

Licet ergo priores actus virtutis fortitudinis, temperantia, & similia, qui supponunt imperfectionem, non possint ei conuenire, qui non habet imperfectionem: secus tamen posteriores. Et ita v. c. Beatus, qui est impassibilis, non potest ferre aliquid durum, nec potest habere actum ferendi ardua patienter: tamen affectus actualis, & efficax quantum in ipso est, ad tolerantiam molestiarum, & aggressionem arduorum, in Beato esse potest. Et generatim actus veri &

perfecti cuiusque virtutis, possunt esse in voluntate sequente dictamen rationis circa unumquodque obiectum secundum propriam cuiusque differentiam.

Sic igitur Deus, licet non omnes virtutum affectus in se exerceat; continet tamen in sua voluntate excellentes affectus puros, & interiores actus virtutum, non tantum essentialiter, quatenus per suam essentiam est amor omnium possibilium bonorum, & odium malorum turpium, secundum esse possibile; sed etiam contingenter & libere, quatenus optat, facit, aut curat ut naturæ rationales quæ recta sunt sequantur, & opposita declinent. Cuius rei signum est lex diuina. Nam per illam (quæ est diuinæ voluntatis index) præcipiuntur, consulantur, & commendantur ea quæ sunt conformia virtutibus; & contraria prohibentur. Unde Deus amat excellenter fortia, temperata, &c. & licet non possit ipse alteri supremum cultum religionis tribuere, amat tamen & vult ut naturæ supremæ tribuatur honor supremus, etiam citra considerationem quod ipse sit illa natura: quæ est perfectio propria religionis. Et quamvis diuinæ voluntatis non sint multi actus in re, sed vnicus: per illum tamen versatur singillatim & distinctè circa objecta virtutum omnium: sicut per actum intelligentiæ attingit distinctè omnia intelligibilia secundum proprias differentias. Nec tantum versatur diuina voluntas per quandam eminentiam circa omnium virtutum objecta, comprehensa sub vna communi ratione; sicut chafitas sub vna communi ratione boni vel mali eius quem amat, cõplectitur aliarum virtutum objecta, ut ipsi bona vel mala: sed etiam versatur circa singula secundum proprias rationes, ut tales, non minus quam intelligentia Dei attingit omnia sub proprijs rationibus.

DISPUTATIO DECIMA OCTAUA.

De prouidentia Dei.

Sectio I. *An Deus rebus prouideat?*

Sectio II. *Quid sit prouidentia: & quod eius subiectum, & obiectum?*

Sectio III. *An & quomodo Deus generaliter rebus omnibus prouideat, ita ut nihil sit quod sub eius prouidentia aliquo modo non cadat?*

Sectio IV. *Verum prouidentia rebus prouisis necessitatem imponat?*